



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructorii Conscientiæ R. P. F. Lvdovici Lopez Ordinis Prædicatorvm ...

In qua reliquæ materiæ quæ ad Instructionem Conscientiæ pertinent ex
Orthodoxis Ecclesiæ iudiciis & scholasticorum Theologorum, tum
Iurisconsultorum resolutionibus scitu perutiles latè & copiosè disputantur

López, Luys

Lvgdvni, 1588

De cooperantibus ad damnum siue per conseasum siue aliter, & de
confessario. Cap. XVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41259

parte domini reducere ad memoriam solutionem illius debiti quare tenebitur illud restituere? ¶ Quinimo regulariter mutuatarij cum instrumentis palliatis inique consensere, videant se in iudicio posse cogi ad soluendum, sine litibus malunt soluere, paratique sunt ad soluendum, quare famulo simpliciter proponenti verbo tenus tantum petitionem, si soluerit mutuatarius ad restituendum sibi hic famulus manebit obnoxius, quia iste famulus illum ad soluendum non cogit sed cautio palliata, quam praestitit usurario de tanto sibi debito soluendo.

¶ Cōcludimus ergo quod si aliquis alius tertius diceret mutuatario huic, postquam cogendus est in iudicio hæc debita iniusta soluere, consultius est tibi & melius soluere sine sumptibus, & litibus, non tenetur propter hoc restituere, ita neque famulus tantum proponens sine molesta exactione petitionem ex parte domini. De aliis participantibus cum usurario materia de usura age mus.

¶ De cooperantibus ad dānū, siue per consensum siue aliter, & de cōfessario.

CAP. XVII.

Nunc autem de consentientibus iniuste actioni, licet plura dixerimus ante, reliqua ne quid defuerunt nobis sub breuitate perstringenda.

Qō. 1. ¶ Et primo quaeritur an iudices iniquam ferentes sententiam teneantur in solidum. ¶ Respondetur succincte tenentur proculdubio in solidum, quia in partibilis actionis, id est prolationis sententiæ iniustæ fuisse causa, sicut quando simul quidam concurrunt ad comburendam vicini domum.

Qō. 2. ¶ Sed de suffragatoribus quia abunde supra dictum est ubi proposuimus, & aliquantulum moderati sumus quandam sententiam Cordubæ, solum perstat dicendum de difficultatis puncto circa suffragantes occulte, tacitisque nominibus, post sanctionem Concilij Tridentini, scilicet an qui in electione occulta prælatorum, & cathedrarum suffragantur pro indigno, restituere teneantur casu quo ille indignus multorum ultra medietatem, vel fere omnium calculis sit electus. Et ratio hæsitandi est, quia in huiusmodi occulta

occulta electione, vbi tacitis nominibus, electores suffragantur, innotescere non potest, per quos tantum consummata fuerit electio: quia ij tantum cum ante concilium essent noti, ad restitutionem obligabantur, sed ceteri postea consentientes, quia causam efficacem iniustæ electioni non præstiterunt, à restitutione excusabatur. ¶ Respondetur sanè in re occulta procedendum est per præsumptiones, probabilesque coniecturas: vnde sic potius hanc quæstionem censeo resoluendam, quam frater Iosephus eam resoluit. Quia si suffragator in electione: qui suffragatus est pro indigno qui ex tali occulta electione prodit electus, fuit de primis suffragantibus suo ordine, citra medietatem vocalium, pro suo ordine qualitatis, vel antiquitatis, prius suffragantium, tunc planum est teneri ad integram restitutionem quia palam est illum concurrisse ad consummationem, vel exordium iniquæ electionis, ad eamque efficaciter cõcurrisse. Si autem fuit de posterioribus suffragatoribus: quia parum sibi constare potest an per suum suffragium consummavit iniquam electionem, aut per alium iam prius fuerit consummata ratione dubij huius obligandus est ad aliquid restituendum: sed non ad integrum, sed iuxta arbitrum boni viri causas dubij maiores vel minores examinantis.

¶ Inter participantes in damno dato, quandoque connumerantur reges, magnates, duces qui in causa sunt, vt suum cuiquam tollatur, vel ne cui quod sibi debetur, restitatur, neue ad id debitor cogatur, quod secundum Nauarrum * multi magnates & familiares regum, aduocati, & procuratores sæpe faciunt: vnde etiam sicut à culpa mortali, ita quoque à restitutione non sunt immunes. à sum. lat. ca. 17. nu. 311.

¶ Inter participantes in damno dato est non solum scienter & dolose consulens, sed etiam bona fide consulens, si non adhibitis studio, & diligentia debitis, ad veritatem assequendam consulat. Quare qui consulunt, caueant, ne nimium suæ scientiæ, aut prudentiæ fidant. ¶ Inter tales connumerantur laudates, vel vituperantes aliquem vt sic eum instigēt ad damnum proximo inferendum: quare ij damnum restituere tenentur: quoniam ad id exhortari videntur.

¶ Comparantur quoque inter participantes, qui nocent



mentum suis nominibus alijs illatum ratum habent & gratum, & hoc quo ad culpam, sed quoad restitutionem credo quis non tenetur, si postquam nouit illatum damnnum, per suam rathabitionē in causa non exiterit, quod illator damni illud non refarciat. ¶ Quod satis non ex-

d. Sum. Ea
ina. num.
133.
plicuit Nauarrus^b quia si antequam ratum habuerit, illatum est damnnum cum eius damni illationis fuerit tunc ignarus: tunc illius nequiuit esse causa. Sed bene quoque docet Nauarrus, quod ratum habens factum damnnum, si eius nomine factum non fuit, aut gratum illi non fuit, quatenus suo nomine factum est (licet opus illi in se placeat) ad nullam restitutionem tenetur. Quod verum etiam esse censeo in casu quo dixerit post gratum id habens, sibi sic factum fuisse, placere & non sic adderet stimulos ad continuandum damnnum, vel ad illius reparatio nem non faciendam, vel dilatandam. Quia per prædicta verba quodammodo, aliquando posset sufficienter ad id exhortari; dicendo placet mihi, nihil tua referat neque

c. Vide c.
enim tam male est actum;
cum quis. factorum, quia inter participantes connumerantur, nunc
desent. ex hic aptus incidit sermo. Sotus^d exponendo D. Thom.
com. lib. 6. docentem nouem modis posse esse aliquem acceptio nis
& c. rati- causam, qui quidem modi per hunc versum explicari so-
habitionē. lent, scilicet iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
c. ratā. de participans, mutus, non obstans, non manifestans: docet
regul. iur. per tertiam conclusionem, ex his nouem modis, quinque
lib. 6. illorum suo genere ad restitutionem obligare sunt nepe
ij iussio, consensus sine quo non fieret damnnum, recursus
vel receptatio, participatio in crimine, vel in præda, non
obstare damno cum ex officio tenetur.

d. Sotus de
iust. & in
re. lib. 3. q.
7. art. 3.
¶ Reliquos vero quatuor ex recensitis, ait in quarta conclusionem non semper vinculum restitutionis, inducere, in quibus duabus conclusionibus explicuit Sotus discrimen quod D. Thomas inter hos modos constituit de per se, cui non obstat quod quinque illi modi quando que non obligent, vt verbi gratia participans in crimine hoc est cum altero concurrentes per se, dicitur teneri ad restitutionem, nihilominus quando non est efficax causa non tenetur. Similiter iubens per se est causa motiua, imo omnium potissima, tamen interdum ad restitucio- nem non

nem non obligatur ubi non sequitur dānnum, imo est infallibilis regula obseruanda in his omnibus, quod ubi reuera iussio, consilium & reliquæ causæ non fortiuntur effectum (licet peccatum interueniat) nulla tamen oritur restitutionis obligatio.

¶ His suppositis antequam de receptoribus diffiniamus, sit primum dictum iubens, consentiens, landans & huiusmodi, quando ex tali sua iussione, vel consensu, vel laude non sequitur nocumentum, vel in his casibus alter erat paratissimus facere, non tenentur ad restitutionem. Sicut si quis diceret alioquin paratissimo, certissimo ad inferendum malum, abi & fac, sicut dixit Dominus Iudæ quod facis fac citius, patet hoc quia in his casibus duobus isti supradicti non fuerunt efficaces causæ damni, neque efficaciter motiuæ, quia iam mali executor ex se erat motus, & in procinctu ad inferendum detrimentum, & de facto illud erat illaturus, ergo nō tenetur ad restitutionem.

¶ Secundum dictum sit secundum Sotum loco citato receptans licet per se sonet causam, licet alius receperat, si tantum hospitio recepit latronem, neque illum mouit, imo dissuasit nec quicquam furti cum illo participauit, & si sunt circū multa diuersoria paratissima illum recipere, non est talis in foro conscientiæ condemnandus ad restitutionem. patet quia hæc receptatio nō fuit efficax causa furti.

¶ Tertium dictum secundum fratrem Iosephum, si male factorem quis occultet ne ab aduersarijs vulneret, vel occidatur, si tamen criminis defensor non sit: procul abest ista occultatio & à culpa & à restitutione, quia nullum afficit iniuria eum occultando. ¶ Secus esset si ideo domi reciperet furem, aut flagitiosum, quatenus & persona, & crimini patrocinium opemque præstaret. Nam tunc citra dubium ad restitutionem teneretur, & ut si prædam occultaret, etiam si inde nihil lucri reportaret.

¶ Quartum dictum, quicumque patrocinantes pro latrone, siue sint tabelliones, seu alij procuratores, qui intercedunt pro latrone, apud iudicem, ne ferat iustam sententiam restitutionis furti, & expensarum: restitutionis obligationē incurrunt, quod quidem dictū limitandum dupliciter venit primo quod teneantur isti restituere de

*Sic ex
prebe est
decretū in
can qui eb
sentit. 11.
23.*



fectu latronis hac de causa non restituentis, secundo tenentur restituere quando contra ordinem iustitiæ, & iuris, latroni patrocinantur, ut euadat & non restituat. Secus si defendant latronem in foro exteriori, quando contra illum non sunt indicia, vel semiplena probatio: si procedatur via accusationis, heque alia iuris adminicula, quæ legitime aperiant viam iudici ad procedendum contra illum, quia tunc tantum nituntur iuste secundum leges, liberare delatum de furto, à pœna: restitutionem, si quam secreto debet, relinquentes illius cōscientiæ (quæ nouit an reus sit illius) faciendam.

Q. 3. ¶ An vero confessarius sit taliter particeps criminis quando non mandat restitutionem fieri, ad quam pœnitentem in confessione percipit esse obligatum, quod ipse restituere teneatur. Et licet memor sim de hac materia supra egisse: sed quia etiam hic aptum quæstio hæc sortitur locum, breuiter non nihil repetendum hic erit primo cum

f *Nauar.* Nauarro ^f scilicet quod confessarius per ignorantiam *Sum. Lat.* crassam aut affectatam si non præcipiat restitutionem pœnitenti ad id parato, manet obligatus restituere. *c. 17. num.* 23. *23.* Quod procedit quando confessarius videt aut credit, quod nisi restitutionem præcipiat pœnitenti, pœnitens illa non est facturus si autem sibi mandato iniungatur, pœnitens restitutionem faciet. Secus est si propter incogitantiam id non præcepit, vel quia extimauit, pœnitenti id curæ esse, quia tunc non teneretur restituere confessori, sicut neque quando ex ignorantia non crassa, præcipere restitutionem prætermisisset, quia cum confessarius regulariter, gratia tantum pœnitentium audiat confessiones, non tenetur nisi de lata culpa secundum Nauarrum.

¶ De peculiaribus obligationibus restituendi quæ solent interuenire inter parentes, & filios, & inter cōiuges, & inter fratres.

CAP. XVIII.

Q Via iam quasi absoluentibus restitutionis materiam occurrunt, quædam peculiare obligationes restituendi quæ inter parentes, & filios, vxorē, & virū, & inter fratres inter se solent interuenire: & hanc materiam indi-